

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM
FESTIVALIUM

Disquisitio XXII

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

GEORGIO SCHOENBERGERO

Hallensi Saxone.

IN FESTO BARTHOLOMÆI

Divi Apostoli.

A. O. R. cl. l. c. II.

HALLIS SAXONUM

Prelo Hæredum Melchioris

Oelschlegel.



M U N I R I S

*Ornatissimis, Ingenuosissimis atq; Doctissimis
Adolescentibus.*

DN. { CHRISTIANO BEGERO.
ZACHARIÆ SCHARNOVIO.
MAXIMILIANO REDE- }
LIO. } Fratri-
MELCHIORI REDELIO. } bus.
{ FRIDERICO ROEGERO.


*Symmachis suis dilectissimis, amicis avi-
ternum colendis*

*Hasce pagellas Theologicas in perpe-
tuae amicitiae vinculum continu-
aq; memoria monumentum*

Dicat & Consecrat

GEORGIUS Schönberger
Resp.





ANALYSIS
EVANGELII
 IN DIE BARTHOLOMÆI
 Divi Apostoli,

LUC. 22. à v. 24. usq; ad 31.

ANTECINIUM

Ambitio est abominatio coram
 Deo, habet Salomon Prov. 16, 5.
 ut qui superbis & ambitiosus resi-
 stit 1. Pet. 5. 5. & pūdefacit eos
 Sir. 10. 21. atq; ut sterquilinum in sine per-
 dit Job. 20, 7. Unde toties, quoties fere docuit
 Christus, humilitatem inculcavit, humilitatem
 probavit, humilitatem etiam demonstravit.
 Cumq; experiretur, vel maximè suos discipu-
 los eo tentari vitio non tantum ambitionem
 improbavit; verum etiam contrariam humi-
 litatem

O o

litatem

litatem ipsis mandavit. Id quod uberius etiam docetur in textu Evangelico.

THESIS

1. In quo habetur partim Discipulorum de primatu altercatio v. 24. in quo ea describitur partim à circumstantia temporis, FACTA EST AUTEM. Peregerat nimirum cenam Paschatos Christus, uti patet ex v. 19. & seqq. & de proditore verba fecerat, simulq; eos ad concordiam, & mutua officia adhortatus fuerat. Et ecce eo ipso tempore, discipuli preceptoris altereantur. Ut discamus Diaboli astutias, qui imprimis circa illud tempus quod devotioni, pietati, & sacris meditationibus destinatum esse novit, & ad quod proniores conspexit, ad id propriis delinimentis, & illecebris utitur, ait Basilus. Nec infrequens est adhuc hodie, ut ante persecutiones, imo in maximis discriminibus, non necessaria in Ecclesia dissensiones ab ambitiosis excitentur.

2. Tum est res ipsa, ubi forma: FACTA EST AUTEM CONTENTIO. Id est orta est rixa sine omni fundamento ac gravitatione, cum pertinacia conjuncta, uti vox Græca innuit; & Syrus talem adhibet, quæ irritationem denotat, uti Jac. 3, 14. usurpatur, ex qua lis, invidia
aliaq;

aliaq; prava opera exoriuntur, uti habetur 1.
 Tim. 6, 4. Et qui nihil in se boni habent, illud
 agnoscunt Rom. 7, 19. Qui ne Dominus in iu-
 dicium cum eis intret, anxie cum Davide
 petunt Ps. 143, 2. Et cum sanctis omnibus,
 dimitte nobis debita nostra, quotidie orant.
 Matth. 6, 12. Memores ergo, monet Hilarius
 in homil. de lib. Job. sumus, & conscii, corpo-
 ra nostra omnium vitiorum esse materiam, pro
 qua polluti & sordidi, nihil in nobis mundum,
 nihil innocens obtinemus. Quis enim, excla-
 mat Augustinus Epist. 29. ad Hieron. est sine
 aliquo peccato? quis sine aliquo vitio? Id est fo-
 mite quodam, vel quasi sine radice peccati,
 cum clamat, qui supra pectus Domini recum-
 bebant, 1. Joh. 1, 8. si dixerimus quia peccatum
 non habemus, nos ipsos decipimus. Sane, quod
 Cyprian. serm. 4. de mortal. loquitur; Cum
 avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum
 ambitione congressio est: cum carnalibus vitiis,
 cum illecebris secularibus assidua & molesta lu-
 ctatio est. Obsessa mens hominis, & undiq; Di-
 aboli infestatione vallata; vix occurrit singulis
 vix resistit; si avaritia prostrata est, exurgit
 libido; si libido compressa est, succedit ambitio;
 & si ambitio contenta est, ira exasperat, super-
 bia inflat, violentia invitat; invidia concor-
 diam rumpit, amiciciam Zelus abscindit.

3. Et materia, quoad subjectum: IN EIS. Nempe Apostolis sive discipulis, quos iam paulo ante Dominus admutuam charitatem, paterno planè affectu exstimulaverat Joh. 13, 24. & uno pane cibaverat, ut unum corpus essent, 1. Cor. 10, 17. Ut discamus vel maxime vitio ambitionis tentari Dei ministros. Ita fastus est Aaronis Num. 12, 12. Abironis Num. 32. Alcimi 1. Mac. 7, 7. Quae & causa quare veneranda antiquitas, in omnibus ferme festivitatibus hanc materiam proposuerit.

4. Quoad objectum: QUIS EORUM VIDEATUR ESSE MAIOR? Putabant enim regnum caelorum illud iri inchoatum, cum Christus dixisset paulo ante: Dico vobis, me non amplius comesturum ex Paschate, usq; quo completum fuerit regnum Dei; in quo ipsi super alios excellere voluerunt, ait Beda. Ut discamus, vitium ambitionis esse inter ministros Christi frequentissimum. Ita etiam ante agitata haec questio Matth. 18, 1. inter filios Zebedaei ventilata Matth. 20, 20. post resurrectionem Domini sub ipsum ascensionis momentum mota Act. 1, 6. uti & primo à Diabolo suggesta, dum protoplastis: eritis sicut Deus, proposuit, Gn. 3, 5. Ut vel maxime propterea sit fugienda, quem-

quemadmodum Chrysoft. monet homil. 43.
ad pop. Antioch. Sicut enim sevi ven-
ti in tranquillum mare delati, totum ab imo
subruunt, ut & arena cum undis misceatur;
sic & ambitio & turpis questus, animam sub-
euntes, omnia subvertunt, excæcant mentis in-
tuitum, præsertim gloria furor; nam pecunias
quidem contemere volenti satis est facile, ho-
norem autem à multis collatum despiciere, mul-
ti laboris indiget. Quin, quod Ambros. lib. 4.
in Luc. 4. 2. reliquit: Hoc ipso perniciosior
ambitio, quod blanda est quedam conciliatri-
cula dignitatum; & sæpe quos nulla vitia dele-
bant, quos nulla potuit luxuria movere, nulla
avaritia subruere, facit ambitio criminosos.

5. Partim est Christi ab errore facta revo-
catio, tum quoad primatus affectationem, ar-
gumento ducto à diverso, ubi major, est re-
gum dominatio v. 25. in quo efficiens cau-
sa: IS AUTEM DIXIT EIS. Christus nimirum,
qui quidem potuisset discipulos acerrima ob-
iurgatione castigare; sed blandè mavult docere.
Vt discamus cum omni lenitate & humanita-
te errantes revocare. Potissimum hoc est offi-
cium fidelium doctorum Phil. 2, 1. & seqq.
ne quid vel per contentionem, vel per inanem
gloriam faciant.

6 Et forma, quæ continet in specie tum officium, quoad subjectum: REGES GENTIUM. Hoc est politici regentes. Non tamen intelligit Ethnicos reges duntaxat; sed quia adhuc dum potissimum gentes imperabant; vel quia vocabulum gentium totam numerosam multitudinem, sive ex Ethnicis, sive Christianis collectam, denotat; vel quia secundum iura gentium faciunt illi, qui dominantur. Vt discamus titulum regum pertinere ad magistratum politicum. Unde Gregorius I. sub Mauritio Imp. noluit universalis etiam appellari Episcopus: sed nomen superbum, profanum, frivolum, scelestum, stultum vocavit & nomen blasphemiam, & AntiChristi notans, uti habet Epist. 38. l. 4. indict. 13. & Epist. 194. lib. 6. indict. 5. Et quidem Epist. 32. inquit Quis est iste? qui contra statuta Evangelica contra Canonum decreta, novum sibi usurpare nomen presumit? Ideoq; fugiendi sunt grandes tituli, & potissimum novi. Potius perpendendum, quod habet Augustin. serm. 10. de verbis Domini. Cogitas magnam constituere fabricam celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis.

7. Quoad prædicatum: DOMINANTUR IIS Non tyrannicè, quasi abusus notetur: siquidem
1. Chri-

1. Christus alias non convenienter respondisset, cum discipuli non petierunt principatum tyrannicum: sed de omnibus indefinite loquitur de regibus & principibus; quos non probabile est omnes tyrannicè tunc temporis dominatos: & licet Matthæus κατὰ κρῶν ἰερέων adhibeat, tamen Lucas hic simplex verbum habet: prætere a & κατὰ κρῶν ἰερέων in bonam partem accipitur ut Gen. 1, 28. Psalm. 72, 8. apud LXX. Etiam Homerus Iliad. M. ita usurpat; uti & id. 4. subsequentiâ, quæ de beneficiis loquuntur, arguunt. Ut discamus dominari esse politicorum, hoc est sceleratos punire, & bonos tueri Rom. 13, 4. Id quod sit per virtutem, uti Bonavent. ait, quo magistratus sit verax & justus in iudiciis Prov. 20, 28. per strenuitatem, quo sit severus Prov. 20, 30.

8. In genere quoad subiectum: ET QUI POTESTATEM HABENT. Id est omnes Magistratus, cujuscunq; ordinis & sortis. Non ideoq; intelligitur, quasi tantum non ipsis competere regia dignitas, sed alia tamē: propterea subjicit, hæc verba nec ulla Politica ut sic iis autoritas.

9. Quoad prædicatum: BENEFICI VOCANTUR. Qui quidem honoris titulus ipsis tribuitur ab effectis officii, quod beneficentiam, gratiam, & humanitatem exhibere debeant

beant. Ut discamus politicorum esse beneficentiam exercere, uti erga omnes; ita etiam erga doctores Ecclesie & Scholae: Et propterea stipendia debita solvere debent. Non tantum propter DEI mandatum Matt. 10, 10. Gal. 6, 6 sed & propter priorum exemplum, uti David fecit, 2. Sam. 8, 11. Imo praeterea beneficentiam exercere. Unde & gaudent beneficorum & gratiosorum titulo.

10. Minor, est discipulorum ministratio v. 26. In quo summatim, per negationem, id quod colligitur ex conjunctione aduersativa; VOS AUTEM NON SIC. Nimirum quia non estis reges, seu principes mundani: quasi ite colligeret Christus: Quicumque non sunt reges mundani, illorum non est dominari. Vos non estis reges mundani. Ergo dominatio vobis interdicitur. Neque tantum debortatur eos ab abusu politicae potestatis, & ecclesiasticae, quasi non tantum ex usu potestatis politicae gloriosos titulos venari, nec debeant exercere, sed etiam plane ipsis derogat omnia politicam potestatem, quod non debeant pretextu Ecclesiastici muneris dominium affectare: siquidem magna est differentia inter Christi regnum spirituale, & mundanum, uti ipse dicit Joh. 18, 37. dum non venit ut sibi ministraretur, sed ut ministraret
Matth.

Matth. 20, 28. dum fugit regnum Joh. 6, 5.
 ratione causæ efficiētis. Mundanū enim ad-
 ministratur ab hominibus, spirituale à Christo
 Pl. 2, 6. Mundanum externa vi gubernatur,
 spirituale verbo El. 11, 4. Mundanum occu-
 patur circa corporalia dona, spirituale non est
 in mundi facultatibus Luc. 17, 21. Munda-
 num est determinatum, spirituale est totius
 orbis Pl. 72, 8. Mundanum habet suas periodos,
 spirituale est æternum Dan. 2, 44. Pl. 145, 13.
 Neq³ enim per vocabulum sic ostendit tan-
 tum modum gubernandi gentiliū tyrannidiæ
 similem; sed Apostolis & Ecclesiasticis perso-
 nis, omninò omnem derogat. Siquidem Clericis
 & Ecclesiasticis planè non competit potestas a-
 liqua politica, propter Christi interdētum,
 propter ejusdem exemplum, ut qui nec habuit,
 nec habere voluit temporalem jurisdictionem
 aliquam, dum recusavit hereditatis divisio-
 nem, Luc. 12, 14. adulteræ condemnationem
 Joh. 8, 11. Etiam eo spectat Petri monitum 1.
 Petr. 5, 3. Pauli testimonium 2, Tim. 2, 7.
 Non quod sibi sint planè contraria; sed quod
 sint diversa. Unde etiam, habet Bernhardus
 lib. 2. de consid. ad Eugen. planum est; A-
 postolis interdicitur dominatus; Ergo tu nec
 tibi usurpare aude, aut dominans Apostola-
 tum,

*rum aut Apostolus dominatum, planè ab alter-
utro prohiberis, si utrumq₃ similiter habere vo-
les, perdes utrumq₃. Forma Apostolica hac est:
interdicitur dominatio, indicitur ministratio.*

11. Explicatim per ratiocinationem
à relatis in genere respectu ætatis,
quoad antecedens: QUI MAIOR EST IN
VOBIS. Uti enim Medici curationem mor-
borum institunt per contraria remedia; Ita
Christus in antithesi, ad virtutem ambitioni
contrariam, videlicet modestiam hortatur; &
per majorem, digniorem, excellentiorem & æ-
tate grandiore intelligit. Ut discamus, cum
Apostoli forsitan allegaverint ætatem majorem,
uti Petrus, qui erat quasi os Apostolorum, eti-
am voluisse illud argumentum refellere. Ut di-
scamus in spiritualibus nihil prodesse ætatem.

12. Quoad consequens: FIAT SICUT
JUNIOR: Ut nempe senior in regno Christi,
non respiciat tam ætatem, quàm officii ratio-
nem. Ut discamus humilitatem.

13. Et in specie, ab officio, quoad ante-
cedens, ET QUI PRINCEPS EST. Sen qui
præest, uti usurpatur Act. 7, 10, 15, 22. Ebr. 13, 7.
ordine vel dignitate, uti Syrus habet, qui est
honoratior, & major. Ut discamus etiam in
ordine Ecclesiastico dari primum.

14. Quoad

14. Quoad consequens: SIT SICUT QUI
 MINISTRAT. Id est ita se gerat ut minister; in-
 seruiat aliorum commodis, non quarat suum
 honorem, sua commoda; sed eorum, quibus pra-
 est. Non quasi velit omnem ordinem tollere, si-
 quidem alij Doctores Ecclesiae dicuntur ἡγ-
 μωνοι, qui fidelibus se exhibere debent tanquam
 via duces 1. Tim. 4, 12. Sed hanc ἡγμωνίαν
 Ecclesiasticam dominatui politico opponit, &
 per διακονίαν definit. Unde habet Gregor.
 l. 26. moral. c. 19. Servata autoritate regi-
 minis ad cor nostrum sine cessatione redeamus
 & consideremus assidue, quod simus equaliter
 cum ceteris conditi, non quod temporaliter cæ-
 teris pralati: potestas enim, quanto ex-
 terius eminent: tanto premi interius de-
 bet, ne cogitationem vincat, ne in de-
 lectionem te rapiat; Et ille inter ministros
 excellit, qui plurimum laborat, qui per veram
 humilitatem omnibus servit. Hinc & Beda
 inquit in hunc locum: In forma humilitatis
 obtinenda, majores & precessores h. e. Ecclesiae
 doctores, non minima discretionis opus habent,
 ne videlicet, regum gentium instar, dominantur
 subiectis, seq, ab iis gaudeant supervacuis lau-
 dibus extolli, sed dum ad exemplum regis pra-
 sunt, efficiantur ut ministri; quia nimirum ne-

esse est, ut sic agentibus per humilitatem, sint socii, quatenus contra delinquentium vitia, per Zelum iustitiae sunt everti, ut & bonis in nullo se praferant, Et cum prava culpa exiit potestatem proprii sui prioratus agnoscant &c. sed providendum, ne aut districtio sit rigida, aut pietas sit remissa.

15. Et ab exemplo, estq; Christi observatio v. 27. In quo à comparatis imparibus, à minus probabili, ad magis probabile ratiocinatur, adhibita illustratione comparatorum per interrogationem, in genere; **QUIS ENIM MAIOR? RECUMBENS AN ADMINISTRANS?** Siquidem varia possunt afferri cause. Quasi dicat, provoco ad vestrum ipsum iudicium, quis nam sit maior? Vbi per accumbentem praefigurantur Apostoli, per ministrantem verò Christus: siquidem verbo ministrandi omnia, quae in carne gessit, possunt intelligi, uti Beda habet in hunc locum. Nam & ipsum sui sanguinis Sacramentum, in ministrandum nobis se effundere significat, cum dicit. Sicut filius hominis non venit ministrari; sed ministrare Matt. 20, 28. Et dare animam suam precium redemptionis pro multis; cumq; esset in forma DEI, exinanivit se ipsum, formam servi accipiens, Phil. 2, 6. Et quamvis
is, qui

is, qui alios convivio excipit, eo ipso maior sit
hospitibus, quod bene de aliis mereatur, dum
beatius dare; quam accipere Act. 20, 35. ta-
men hic Christus non tam de convivii instru-
ctore, quam ministro loquitur. Ut discamus
inservire aliis.

16. In specie; NONNE RECUMBENS? Hoc
est, ille honoratior, dignior & major habetur
qui accumbit, ut cui ministrant vel etiam ci-
vilitatis tantum gratia, inservitior, epulanti pro-
spicitur, ne quid conviviali hilaritati desit. Ut
discamus honoratius esse sedere.

17. Et applicatio: AT EGO SUM IN ME-
DIO VESTRUM SICUT MINISTRANS. Va-
ria possunt afferi causa cur Christus, postquam
dominatum politicum Apostolis derogasset,
& ad humilitatem eos debortatus fuisset, suum
ipsius exemplum, ad imitandum ipsis propone-
re voluerit: quia tamen Christus perfectissi-
mum exemplar humilitatis Matt. 11, 28. Ut ergo
facto ostenderet, quod ante docuerat, denuo il-
lud praeostat. Quasi diceret: A me fieri talia
non vidistis, dum alias ab omni dominatu ter-
reno studiosè abstinui Ioh. 6, 15. Et licet sim
paterfamilias, convivii caelestis instructor, ca-
put collegii, tamen ego vobis ministro. Ut quo-
dammodo ad Eucharistiae administrationem,
respe-

ciat, secundum Theophylactum, & ad pedum lotionem, secundum Euthymium. Erit igitur & vestra procuratio servitus, non dominium: Eritis laboratores, & ministri, non principes & dominatores. Ut discamus humilitati esse studendum, siquidem Christi actio, est nostra informatio. Inde Ambros. inquit: Deus in humilitate se proponit imitandum; egebamus omnium, ipse nullius, & tamen praebebat se humilitatis autorem, cum discipulis ministraret, quod utique non faciebat studio utilitatis; sed exercitatione virtutis, Frustra enim appellamur Christiani, addit Leo serm. 5. de Christi nativ. si imitatores non simus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio magistri, forma esset discipuli, & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus.

18. Et quoad futurae gloriae praestationem, ubi causa impulsiva, in tentationibus duratio v. 28. in quo summatim, VOS AUTEM ESTIS Vbi particula *De* manifestat verba haec cum sequentibus esse conjungenda; reprimit enim Christus in Apostolorum animis, dominatus politici curiositatem, promissione futurae gloriae: mundana enim gloria est transitoria, quovis vento fugacior, quavis aura levior. Frustra ergo

ergo contenditis iam vos, quis vestrum major
cum omnes futuri sitis maximi.

19. Explicatim, per descriptionem à con-
stantia: QUI MECUM IN TENTATIONIBUS
PERMANSISTIS. Quasi dicat: amplissima ali-
quando vestra constantia & in cruce patien-
tia percipietis premia. Et quamvis de prima-
tu contentio sit lapsus satis gravis; tamen con-
stantes permansistis. Vbi per tentationes, o-
mnes calamitates intelliguntur. Tentat9 autem
à Satana in deserto Matth. 4, 1. ab ore
ganis Satana, à Pontificibus, scribis & Phari-
sais Matth. 16, 19. dum ignominia ipsum af-
fecerunt, & de loco in locum fugarunt, cuius-
modi persecutiones etiam vocantur tentationes
Luc. 8, 13. Act. 20, 19. Gal 4, 14. In quibus i-
psum non deseruerunt, ut Capernaite Joh. 16,
67. nec erubuerunt ipsum confiteri coram
principibus Iudeorum Joh. 17, 42. In iis ergo
permanserunt cum Christo, omnes perdura-
runt & constantes manserunt, uti vox usurpa-
tur Ebr. 1. 11. Ut discamus constantiam in ca-
lamitatibus necessariam. Inde inquit Bern-
hardus Epist. 129. Tolle perseveransiam, nec
obsequium mercedem habebit, nec benefi-
cium gratiam, nec laudem fortitudo, nec qui
caepit.

cæperit, sed qui perseveraverit adhuc salvus erit, Apoc. 2. 10.

20. Et forma promissionis, quæ est regni pollicitatio, v. 29. in quo adhibita illustratione comparationum, quoad modum, respectu antecedentis: ET EGO DISPONOVIBIS. Vbi verbum διαθήκη innuit, quasi per testamentum (de iis enim usurpatur) lego Act. 3. 25. Ebr. 8. 10. Vnde Διαθήκη proprie significat testamentum Ebr. 9. 17. Loquitur itaque tanquam morti vicinus, & legat ipsis, non bona terrena, non dominatum, insinuatque fructum Eucharistia, quippe quam vocaverat καὶνὴν διαθήκην Matth. 26, 20. confirmatque Apostolos, dum non solum promittit, sed & constituit. Non itaque constantia Apostolorum est meritum, regni cælestis, dum id per se constituit tanquam autor, & consummator salutis Ebr. 12. 2. Vt discamus Christum donare solum vitam eternam.

21. Quoad consequens: SICUT DISPONUIT MIHI PATER MEUS. Vbi sicut non notat paritatem, sed similitudinem, quia electis disposita est per solam promissionem gratuita in Christo Iesu, Eph. 1, 5. Quasi diceret: sicut ego heres sum per naturam, ita vos eritis heredes per gratiam; ut ostendat conjunctissimam
capi-

capitis & membrorum in corpore mystico conjunctionem, & promissionis confirmationem, promittentisq; divinitatis testificationem.

22. Quoad objectum: REGNUM. Quod gloria potissimum intelligitur. Et tale vocatur, quia sancti in eodem devictis hostibus in eternum cū Christo sunt regnatura. Quasi diceret: quamvis non constituam vos principes huius mundi; tamen faciam vos principes cœli, ut in regno cœlesti, quod Pater mihi disposuit vivatis. Quibus ergo ejusmodi regnum in futuro seculo paratur, illi non debent de primatu in hoc seculo contra vocationem suam, officiumq; suum invicem contendere. Ut discamus, ex passione malorum, nos ingredi in gloriam, inquit Theophylact. in Luc. 24. Si ergo cum eo toleramus, cum eo etiam regnabimus, inquit Paulus 2. Tim. 2. 11. Rom. 8, 17.

23. Et cœlestis honoris participatio v. 30. In quo adjuncta gloria amplificatur, metaphorica comparatione duplici, quatum prima petita à convivii refectio, ubi modus: UT COMEDATIS ET BIBATIS. Hoc est ut omnis generis delicias ac voluptatibus fruamini. Non enim victus & potus præmi loco spondetur, sed communicatio gratiæ cœlestis & vitæ, habet August. lib. 20. in Luc. 22. Habe-

P p

bitis

bitis convivium defecatorum Et. 25. 6. Saturabimini bono domus Dei Pl. 65, 5. ex torrente deliciarum Pl. 36, 9. ubi panis vivus Ioh. 6, 5. fons aquae vitae Ioh. 4, 14. Deus erit cibus illorum, qui cibus reficit, non deficit, ut ait August. in Pl. 50. Et discamus vitae caelestis gaudia.

24. Quoad locum: SUPER MENSAM REGNI MEI. Id est in regno meo; quod meum Theophylact & Euthymius omittunt; sed Syrus expresse habet, ut innuat super mensam regni Christi. Mensa igitur omnibus sanctis ad fruendum proposita, ait Beda lib. 6. in Luc. 20. est caelestis gloria vitae. Et designatur, quod Cyrillus habet, summa familiaritas & cum Christo felicitas. Quemadmodum enim prerogativa quadam apud reges terrenos funguntur, qui eis quasi convivae assident; sic ex humano iudicio ostendit, qui apud Deum in primis honoribus statuentur.

25. Altera à Iudicii ratione, quoad antecedens: UT SEDEATIS SUPER THRONOS. Id est ut in honore & gloria sitis speciali competentis vobis solis. Inde quaerit Theophylact, in Matth. 19. Num sedebunt? minimè, sed exercebunt honorem per fidem militantem. Non quidem sedebunt in throno Christi, de quo

quo Apoc. 4, 2. sed in throno sanctorum Apoc. 4, 4. qui tamen etiam Christi dicitur, quia à Christo datur Apoc. 3, 21. Ille dicitur & thronus Patris, qui unus est; hic pluribus competit. Ut discamus, prerogativam Apostolis promitti praeter ceteris, dum futuri sunt assessores iudicij.

26. Quoad consequens, quod continet modum: JUDICANTES. Secundum potestatem approbatoriam, Apoc. 19, 2. testificatoriam: doctrina nimirum secundum quam condemnabuntur impii.

27. Et quoad objectum: DUODECIM TRIBUS ISRAEL. Id est omnes illos quotquot ex iudeis predicatam doctrinam Evangelij noluerunt recipere, uti exponit Theophylact. in Luc. 22. approbatione sententiae à Christo prolatae. Et quia Apostoli etiam duodecim erant, secundum numerum tribuum Israeliticarum. Ut discamus, unam quidem futuram esse sanctorum omnium vitam aeternam; sed premia pro labore diversa. Diversa, habet Fulgent. de fid. ad Petr. c. 28 erit sanctorum gloria; sicut enim stella differunt 1, Cor. 15 48. ita Doctores fulgebunt Dan. 12, 8. Non tamen erit aliqua invidia imparis qualitatis, ait August. tract. 67. in Ioh. quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Ibi

nemo leditur, nemo irascitur, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit, ait Augustin. in manual c. 17. Ut discamus omnes homines sistendos coram tribunali.

I.

Facta est contentio] Considera etiam inter sacros esse iurgia in summis necessitatibus; ut discas cavere.

II.

Reges gentium dominantur] Considera aliud esse ministerium, aliud dominium; ut discas non dominari clero.

III.

Judicantes tribus Israel] Considera non debuisse prius iudicare quam postquam sese humiliassent; ut discas te submittere, si velis honorari.

—————
C A S U S.

*An Episcopus possit habere jurisdictionem
secularem?*

Non videtur, 1. quia Christus dixit reges gentium dominantur, vos autem non sic, Matth. 20, 25.

2. Quia Christus non habuit, dum inquit: regnum meum non de hoc mundo Joh. 18, 33.

3. Quia

3. Quia Apostoli improbant i. *Tim.* 2, 4.
1. Petr. 5, 12.

4. Quia jura volunt, ut sacris vacent, l.
repetit C. de Episcop. & Cler. Novell. 6 in Prin.
l. consulta divalia C. de testamentis. Inquit
Bernhardus: Non monstrabunt ubi sederit
Apostolus Judex hominum aut divisor
terminorum.

Contra videtur i. Quia Moses habuit
Exod. 18, 32. qui & se vocavit Episcopum.
 Testatur Constantinum Magnum *Eusebius*
in vita Constantini 4. c. 24. habuisse & Sacer-
dotium.

2. Quia Christus & Rex fuit & Sacerdos
Pf. 100, 4. Zach. 6. 13. c. ex multis, c videntes.
1. 9. 3. c. Sacerdotes de Consecrat. dist. 2.

3. Quia jura Civilia, Canonica, Feudalia ta-
 lem jurisdictionem ipsis concedunt & man-
 dant. Vnde præsumptum foret disputa-
 tione Scholastica pervertere. *Randens. c. 39.*
n. 83. de analogia.

4. Quia Electores sunt Ecclesiastici, quos
 nec improbat Augustana Confessio, artic.
 ult. Etiam ipse Lutherus adhibitus arbiter
 in aula Mansfeldensi accessit *Sleid. lib. 16.*
Hist. Nec quidam Theologi poterunt to-
 tum imperium Romanum invertere aut re-
 vangiare mundum, inquit *Baldus.*

5. In Imperio pari cum Principibus jure utuntur, *Oldra de Ponto Cons. 318. Gail. de pace publ. lib. 1. c. 1. n. 12 & seqq. Faber de regenda religione lib. 1. c. 11. n. 33. Zieritz de princip. dignit. Seeph. de jurisdict. lib. 3. par. 1. c. 1. lib. 2 par. 10. 7.* multum autem interest inter primitivæ Ecclesiæ statum & hunc præsentē: & inter id quod fuit, & quod nunc est *l. quires § auream ff. de solut.* Cum enim à tanto tempore, de cujus contrario non extat memoria cum potestate spirituali & ecclesiastica obtinuerint, & adhuc legitimè obtinent Ducatus, Comitatus, Baronias cum jurisdictione temporalis, quis eos destituet jure quæsito & multis annorum centuriis corroborato? Nec enim ea, quæ certam observationem semper habuerunt, temerè mutanda *l. minime ff. de legibus Ernest. Cothman. in resp. Academ. 27. n. 38.* cum tanti temporis vetustas pro lege habeatur *l. fin. & ibidem Dd. ff. de aqu. & aqu. plu. arc. & veritati æquipolleat l. 1. ubi l. de servitut. Cothman. respons. Academ. 30. n. 27.* Deinde primitivæ Ecclesiæ, sicut aliarum rerum initia fuerunt tenuia & longe alius status, quam hodie *Arum. ad Aur. Bull. discurs. 30. Concl. 8.*
 Ad contraria 1, Fall causæ: dictum primario

ariò Apostolis, qui erant mitendi in mundum universum, & qui de primatu contende-
bant nondum dato & concesso; & secundariò ad eos, qui solùm docere debent,
Carpzov. ad. l. n. 39.

Ad 2. Fall causæ, aliud de Christo dicen-
dum, ut qui venit, non ut ministraretur, sed
ut ministraret.

Ad 3. Fall. sec. quid quatenus Episcopi
non debent sese implicare politicis rebus,
si solùm sint Episcopi; quod si tamen &
Principes aliud dicendum, ut qui jura Epi-
scopalia habent & Episcopi dicuntur etiam
secundùm veteres. Et licet Episcopi jura ter-
ritorialia & secularem potestatem ex libera-
litate piorum Principum una cum Episco-
pali & Diocesano jure possideant, manent
tamen separata munera, sacerdotium & im-
perium, nec propterea confunduntur, quia
illud jure ministerii, hoc jure usurpant ter-
ritorii *Joachim. Steph. de Jurisd. l. 4. c. 2. n. 52.*
Nam idem homo diversis respectibus præ-
ditus, diverso jure censerì, & sic duplicem
personam repræsentare potest. *cap. cum Ca-
pella, X. de privilegiis.* Et sic Coloniensis est
dux Angariæ & Westphaliæ; Episcopus
Argentiniensis est Landgravio Alsatia, Paur-
meister

meister de iurisdic^t. Imperii Roman. Cer. l. 2.
 c. 9. n. 8. Videatur etiam Carpzov. ad legem
 regiam c. 3. 9. n. 9. Hortled. de bello ger-
 manico l. 1. c. 35. Waremund. ab Ehrenberg. de
 subsidio Imperii c. 1. n. 22. ex literis de probat.
 l. fin. ff. de institut. l. apud filium fam ff. de ma-
 numiss. vind. Traquel. de Nobilit. c. 28. n. 15.
 Gau. l. 1. ob 30. n. 2. in fine. Sic Paulus poterat
 esse Apostolus & textor Actor. 20, 34. 1. Cor.
 12. 12. diversi namque respectus in eadem
 persona considerantur non secundum idem
 & idem, sed secundum aliud & aliud.

Ad 4. Jura volunt ut unusquisque faciat
 officium suum, sed suo tempore: distinctis
 vero temporibus & diversis respectibus
 potest etiam quis diversa praestare, uti patet
 ex rationibus contrariis.

Ad 5. Bernhardus recte sensit de Epi-
 scopis, sed quia una Principes & ex liberali-
 tate habent principum, quod habent, quis
 auferet illis? certe si quis propriam habet
 domum, eo jure & plures, eo jure & pagum &
 provinciam habere potest.

Alias Episcopi etiam vocantur, qui prae-
 sunt l. 18. § 7 ff. de muner. & hon. ut & in Pla-
 tarcho in vita Periclis, & Cic. in lib. 10. Epistolae
 ad Atticum 7. Carpzov. c. 3. § 9. n. 14.

GEORGIUS SCHOENBERGERVS
divay.

GERE RUS, HOC SUGGERE BONIS.

R *Us gere* Musarum : sacrata palatia
Phœbi

Invisas^{vi} nam te Phœbus amare solet:
Nomen in orbe tuum sic immortale ma-
nebit,

Quod longè superat fulva talenta Midæ.
Sic studia & cuncti laudabunt: fiet ut olim
Hoc, clamet populus, suggere queso bonis.
Suggerat ipse Deus, tibi sic felicia quæque!
Sic & vita tibi parva perennis erit.

ita vovet

ZACHARIAS SCHARNOVIUS.
Jütrebocensis Saxo.





02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



VΦ 17




EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

VITIARUM
 GELICARUM
 TIVALIUM
 uisitio XXII
 PRÆSIDE
 ANO GUEINZIO
 anasii Hallensis
 Rectore
 espondente
 O SCHOENBERGERO
 allenfi Saxone.
 O BARTHOLOMÆI
 Divi Apostoli.
 O. R. cl. Idc. II.
 LIS SAXONUM
 eredum Melchioris
 Oelschlegell.

